

Errinas, & propositiones seditiosas, temerarias, perniciosas, erroneas, alias damnatas, & Jansenianam hæresim manifestè sapientes.

Neque sententiarum brevitatis posset Pontificis iudicium ab imprudentiæ, & injuriam macula expedire; non enim, ubi doctrina omnis sana est, potest sententiarum brevitatis iudicibus æquis, & sapientibus, sufficiens præbere censuris tam atrocibus argumentum. Neque purgaret eos sermonis Gallici ignorantia; nam quis æquus, & sapiens publico, ac supremo iudicio statuatur de doctrina Catholica, vel hæretica libri, eo conscripti idiomate, quod non intelligit? Sed neque Pontifici; neque S. Officii Cardinalibus, neque Consultoribus, neque Qualificatoribus deest linguæ Gallicæ intelligentia, abundè sufficiens, ut de sanitate, vel perveritate doctrinæ *Considerationum moralium* valeant iudicare. Denuntiatur quidem nuper vidimus librum illum etiam Accademix Gallicæ, cujus est de puritate sermonis discernere, atque in eo de plurimis linguæ defectibus accusatur; sed scriptori laus illa non facillè extorquebitur, quod stylo succincto, plano, ac facili sua passim dogmata enuntiet; tunc solum obscuritatis aliquid studiose immiscens, quando ars hæreticis familiaris dicitur, horridicæ novitatis venenum verbis mitioribus, ac ferè Catholicis occultandum.

Non minùs ab hæreticis discere potuit, quod Pontificio contra librum suum iudicio opponere audeat plurium Theologorum, & Antistitum approbationes. Sic Author panegyros Jansenianæ in prologo galeato pag. 4. Numerus, inquit, *laudantium virorum quinquaginta sex, tum Ecclesiasticis dignitatibus, tum doctrina gradibus, tum Theologicis Cathedralis, tum Religioso Instituto, ac singulari vite sacrationis pietate illustrium.* Pag. 6. *At quorum sum, insurrabit fortasse quispiam, longa illa, ac fastidiosa tot personarum, suis quarumque gradibus, titulis, dignitatibus, institutis, insignitarum producta enumeratio? Nimirum ut apud illibata mentis, ac matura sagacitatis iudices non dubià consecutionis lege concludam, rem esse humanitatis, seu, ut scholæ loquuntur, moraliter impossibilem, ut numerosus iste eruditorum Senatus, videlicet tam scientiâ præditorum, tam religione præstantium, tam loco distitorum, tam studiis dissimilium, librum in materia controversa scriptum, non dico approbarint; sed inauditis planè encomiis in æthera tulerint, qui non tantum quinque hæresibus factus, sed horridâ continuarum hæresion concatenatione perextus esset.*

Constat tamen, magnificos illos quinquaginta sex, Janseniani operis approbato-

res erravisse. Longè plures suffragatores, nec minùs eruditos, quàm pro se Quæsnellus recenseat, nacti fuere heresiarcha veteres Donatus, Eutyche, Arius, ac Pelagius, & quidem Arius ex Episcopali ordine tam multos, ut orbis se factum quodammodo miraretur Arianum. Verùm Divina, quæ Petri naviculam semper dirigit, providentia, deficientibus aliquot à fide Episcopis, ipsa non deficit, & per successores Petri eam omnium adversantium procellis statuit superiorem. Si teste Angelico 22. quæst. 11. art. 2. ad 3. *Contra Summi pontificis auctoritatem nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis Sacrorum Doctorum suam defendit sententiam,* quanto minùs Quæsnellum decuit suas defendere *Considerationes Morales,* contra latam ante quadriennium supremâ auctoritate censuram! Hanc non elidet quorundam Quæsnello suffragantium, sive Theologorum, sive etiam Antistitum approbatio, quorum omnium, si æquâ lance expendatur, auctoritas, uni Hieronymo, vel Augustino minimè comparanda, ipso Quæsnello iudice, statuatur. Quisquis igitur sive Presbyter, sive Episcopus, etiam nonnullis conspirantibus, errorum zizania in Ecclesiæ agro disseminare præsumpserit, non is fidei regulam nobis præscribere potest; sed cum S. Bernardo epistola 189. dicimus Summo Pontifici: *Ipse Deus te constituit super gentes, & Regna, ad quid, nisi ut evellas, & destruas, & adifices, & plantes?* Epist. 191. *Tuum est de cætero, Beatissime Pater, providere, nè in diebus tuis aliqua hæretica pravitate maculâ decor Ecclesiæ maculetur. Tibi commissâ est sponsa Christi, amice sponsi: tuum est tandem uni viro virginem castam exhibere Christo.*

CAPUT XVIII.

Examinantur tria Quæsnelli postulata.

„ I G I T U R (inquit) ad S A N C T I T A T I S
 „ V E S T R Æ pedes, animo prostratus,
 „ B E A T I S S I M E P A T E R, triplex ab illa
 „ beneficium supplex expostulo. Primum
 „ est, ut regula ab Alexandro felicis memo-
 „ riæ Papa VII. in Observationibus ad deci-
 „ mam indicis Regulam de examinandis li-
 „ bris præscripta, etiam in hac occasione te-
 „ neatur: ut scilicet inter Consultores, aut
 „ Qualificatores, qui vel de libro ipso, vel
 „ de propositionibus è libro extrahendis,
 „ suffragium ferent, non alii annumerentur,
 „ nisi quos doctrinâ, morumque integritate
 „ probatos, ab omni suspitione intactos, &
 „ à partium studio, atque ab amoris, & odii
 „ stimu-